



32148/B

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30537277>



CAROLI NICOLAI LANGII

Lucernens. Helvet. Phil. & Med.

Acad. Cæs. Leopoldino-Carolin-Societ. Reg. Prussicæ & Phys. Crit.  
Senens. nec non Reip. Lucernens. Senatoris.

## APPENDIX

ad

Historiam Lapidum figuratorum

Helvetiæ, ejusque viciniæ,

de

MIRO QUODAM ACHATE

qui coloribus suis Imaginem

CHRISTI IN CRUCE MORIENTIS

repræsentat,

cujus occasione quoque

de

alijs mirabilibus, tam

Achatum, quam aliorum Lapidum

FIGURIS

breviter agitur;

quæ quidquam

DE PASSIONE DOMINI

coloribus suis exhibent,

cum exactâ descriptione

LAPIDIS CRUCIFERI, SEU CRUCIATI

eiusque virium,

& iconē

prædicti miri Achatis.

---

Typis Monasterij Einsidensis.

Per Meinradum Eberlin, 1735.

**Benedicite omnia opera Domini Domino,  
laudate, & superexaltate eum in fæcula.**

*Daniel. 3. v. 57.*

# PRÆFATIO.

**N**emini dubium erit Naturam naturatam, seu cunctas res naturales ideo potissimum à Deo summo Creatore esse institutas, & productas, ut nimirum per eas omne ens intellectuale in indubitatem, & quasi palpabilem ejus existentiae, sapientiae, ac infinitae bonitatis cognitionem, sincerum amorem, & humillimam adorationem deducatur, & commoveatur; cum autem hoc nullo modo facilius exequi queat, quam per frequentem, & seriam tam Creationis, quam Salvationis nostræ exhibitionem, & contemplationem, utpote quæ sunt duo primaria, & præcipua Amoris erga nos, & Misericordiæ divinæ opera; propterea Deus teroptimus, & salutis nostræ summè cupidus plurimas manifestas, & ubique quasi obvias suppeditat occasiones oculis quasi perlustrandi sanctissima hæc duo mysteria, intimisque cordis nostri penetralibus ea insinuandi, præsertim infelici hoc tempore incredulo, in quo repetitis, & non modicè urgentibus ad credendum egemus stimulis; siquidem præter mundana pauca sapimus, & ad hæc cuncta, vel saltem potior cogitatio cordis nostri unicè intenta est, ut nimirum super terram in diebus nostris gigantes evadamus, & potentes à seculo viri famosi neglectis plerumque omnibus, quæ æternam patriam, ac salutem respiciunt, vel mentem nostram ad sincerum Dei amorem allucere, humillimam ejus adorationem, mandatorumque observationem promovere apta nata sunt: verum cum, si hitacuerint, lapides clamabunt, nullus inficias ibit, è singulari Dei decreto, si non voce vocali, saltē stupendis signis, ac à Naturâ plurifariam hujusmodi in casibus divinas vices, quandoque subeunte miris. ( Lapidibus scilicet ) inditis figuris sacratissima hæc Dei mysteria tanquam luculentissima infimæ humilitatis, paupertatis, ac obedientiae, & quidem usque ad mortem Filij Dei monumenta ubivis propalari, ut ingratis, & ea quasi studio negligentibus eò profundiùs inprimantur, & debitæ erga Creatorem, & Salvatorem suum gratitudinis, & imitationis admoneantur, veris autem Christi fidelibus jam dum suscepta tantorum bonorum veneratio, & memoria

*Gen. 6. 7.  
4. & 5.*

*Luc. 19.  
v. 40.*

PRÆFATIO

2  
cò magis augeatur , & commendetur , utpote à quâ solâ omnium nostrûm unica salus dependet , & promovetur , ad hunc igitur præcipuè finem præsens noster admirandus Achates , quem nunc breviter describere aggrediar , à Deo Creatore intentatus , & à Naturâ produc-  
tus videtur : siquidem Deus , & Na-  
tura nil faciunt frustra.



AP-

APPENDICIS  
ad  
Historiam Lapidum figuratorum  
Helvetiæ, ejusque viciniæ,  
de  
**MIRO QUODAM ACHATE.**  
**CAPUT PRIMUM.**

**Exacta Achatis descriptio, qui Imaginem Christi in Cruce morientis repræsentat.**

**Q**uod Achates in genere à flumine quodam Siciliæ nomen suum trahat, germanicè Agat-Stein vel Achat vocetur, Gemma variorum colorum sit, & propter quos diversa etiam nomina sortiatur, quod è succo lapidescente tenuissimo, liquore terrestri, viscido, & ramoso valde defæcato, coloribusque pluribus ob varias sulphuris contenti dispositiones imbuto generetur, quod alexipharmacus, & cardiacus existat, multosque ad usus humanos præser-tim ornatus muliebres elaboretur, jam in Historiâ meâ Lapidum figuratorum Part. 2. Lib. 1. cap. 1. pag. 24. descripsi, ita ut nunc immediate admirandi nostri Achatis descriptionem aggredi queam.

Achates imaginem Christi in Cruce morientis repræsentans. Agat-Stein oder Achat/ auf welchem die Bildniss Christi an dem Creuz sterbend zu sehen ist. Videatur Icon in Tab. Salium. pag. 6.

Admirandus hic Achates quasi ovalis est, & præsentis figuræ auro inclusæ in prædictâ tabulâ exhibitæ peripheria externo majori spatio vacuo inter duas lineas ferè circulares comprehenso, quoad omnia proportionaliter penè minor est, crassitie verò suâ illud interius minus spatium inter duas quoque lineas comprehensum omni ex parte adæquat. Superficies ejus externa, in quâ nimirum imago Christi in Cruce morientis repræsentatur, convexa est, alterâ seu oppositâ concavâ existente, ubi nec Christus cum cruce, nec reliquæ Personæ, aliæquam figuræ ex infra describendis punctulis conflatæ aliter sese nisi per diaphaneitatem lapidis conspiciendas præbent.

Color Lapidis maculis exceptis subcinereus est ex infinitis minimis lineolis, seu punctulis oblongis subfuscis albicanti colori commixtis productus, propterea non abs re suspicor hunc Achatem Leucachatem, vel ein Milch-Achat merito appellari posse: prædicta punctula oblonga solummodo superficialia sunt, & substantiam lapidis levissimè tantum penetrant, eorumque diversus ordo, ac determinata dispositio, copiosior, aut minus copiosa conjunctio omnibus nobilioribus figuris, & admiratione magis dignis in præsenti lapide expressis originem suam largiuntur, & tribuunt.

Prope medium lapidis sinistro è latere apparet Christus è cruce pendulus extensis, & cruci quasi clavis affixis brachijs, integroque corpore, pedibus itidem quasi unico clavo cruci annexis, incumbente, quod ex elevatis cruribus advertitur, & mihi ansam dedit, figuram hanc imaginem Christi in cruce morientis denominandam. Circa femora Christi observatur velum è densiore prædictorum punctulorum ordine productum; & caput ambijunt radij versus omnem partem extensi. Crux cum suâ schedulâ nigricante in ejus summitate sita tam affabré exhibetur, ut à peritissimo pictore artificiosius exprimi non potuisset.

*Achatis  
nomen  
unde?  
Gemma va-  
riorum co-  
lorum est  
A quibus  
principijs  
oriatur.  
Eius usus  
medicus.  
Et ad or-  
natum  
mulierum.  
Achatis  
nostrî ma-  
gnitudo,  
ac figura.*

*Leucacha-  
tes est, vel  
ein Milch-  
Achat.  
In super-  
ficie pun-  
ctulis sub-  
fuscis re-  
fertus est.  
A quorū  
variâ di-  
positione  
ornæ eius:  
figura po-  
tissimum  
exsurgunt.  
Descrip-  
tio figura.  
Christum  
in cruce  
moriente  
repræsen-  
tantis.*

## APPENDIX AD HISTORIAM

4

*Sancti Joannis Evangelista.*  
*Et beatissima Virgini.*  
*Omnis figura est predictis punctulis constant.*  
*Quemadmodum Nubes in sinistro latere sita.*  
*Descriptio Solis obscuratus, reliquarumque macularum tam in dextro latere, quam sub cruce apparentium.*  
*Et Luna.*

*Possessor Lapidis.*

*An predictus Achates naturalis seu artificialis sit.*

*Achates Pyrrhi Regis secundum Cardanum artificialis est.*  
*Eius maculae omnes sunt naturales*

E dextro latere adstat cruci figura sancti Joannis Evangelistæ cum calice versus crucem porrecto, disco Sanctis proprio caput exornante. E sinistro vero latere exhibetur beatissima Virgo ob superveniens deliquum quasi ad terram procumbens, æquali disco caput ejus obumbrante.

Omnis hucusque enarratae figuræ è supra scriptis punctulis oblongis constant, quemadmodum etiam semicirculus prope solem obscuratum situs cum quibusdam radijs versus crucem extensis, nec non macula quædam tenuis nubeculæ cujusdam suspensæ haud absimilis statim sub descripto semicirculo prope divisionem nubium hærens.

Ex ijsdem punctulis oblongis superficialibus conflantur insuper Nubes in sinistro lapidis latere ad ejus extremitatem sub lunâ collocatae, & instar spumantium, at tumidarum maris undarum ascendentæ, quæ tamen punctula in basi, seu infimâ nubium parte tam copiosè coeunt, ut maculam quamdam insignem densam nigricantem, substantiamque lapidis omnimodè penetrantem constituant.

Sol obscuratus ad dextrum crucis latus situs è maculâ fuscâ subrotundâ lapideum penitus pervadente constat; quemadmodum etiam reliquæ nubes omnes subfuscæ in dextrâ lapidis superficie hærentes, nec ijs exceptis, quæ crucem cum sancto Joanne, & beatissimâ Virgine deliquum patiente sustinere videntur, sub quibus excurrentes & in longum transversum, aut obliquè productæ nigricantes venulæ observantur candidioribus, & subfuscis maculis hinc inde interspersis.

Lunam ad sinistrum crucis latus sitam efformant duæ sibi invicem impositæ, & incurvatae rufescentes, seu sanguineæ lineolæ integræ Lapidis subtantiam quoque penetrantes, quarû inferior longior, crassior, & colore saturatior existit, minimisque punctulis rufescensibus verius inferiorem lapidis partem vergentibus, accadentes sanguineas guttulas haud inepte præferentibus circumdata, & exornata est.

Eximus hic lapis à Domino VVilhelmo Krauer Cive Lucernensi, & tunc temporis ejusdem Reipublicæ Monetario à quodam VWestphalo emptus fuit precio haud infelici, & nunc possidetur ab ipsius hæredibus.

## CAPUT SECUNDUM.

### Utrum hucusque descriptus Achates naturalis, an artificialis sit.

**Q**uæritur nunc, an lapis hic pretiosus, seu Achates Christum in cruce morientem repræsentans naturalis, vel artificialis existat, id est, an colores, seu maculæ hujus Achatis figuræ hucusque descriptas, præsertim vero nobiliores exhibentes à solâ naturâ sine ullo adminiculo externo fuerint in lapide productæ, illique impressæ, vel an artificialiter per externam quamdam appositionem materiæ alicuius ita coloratæ, enumeratasque figuræ repræsentantis lapidi fuerint insitæ, prout Cardanus fol. 290. lib. de Subt. de Achatum immitatione contendit, Achatem Pyrrhi Regis novem Musas cum Apolline in medio cytharam pulsante referentem per artificialem appositionem validorum colorium metallicorum lapidi cuidam marmoreo applicatorum, dictasque figuræ repræsentantium, locoque, aut matrici generandi Achatis appositorum productum fuisse?

Respondetur: veri simile quidem videri omnes maculas, & colores admirandi hujus Achatis, nec ijs exceptis, quæ sanctissimum Salvationis nostræ mystérium repræsentant, in se esse naturales, & à naturâ solâ sine ullo alio externo admini-

ad miniculo lapidi inditas fuisse ; quod autem descriptas sacratissimas figuras tam affabre exhibeant potissimum artificiosae , & singulari artificis industriae adscribendum esse , quam lapidem ita polire scivit , ut mediante illa predictae maculae substantiam lapidis superficialiter tantum , & leviter , ac punctatim penetrantes tali modo hinc inde attritae , & tantam solertia laevigatae fuerint , donec tandem admirabiles has figurae repraesentarent ita , ut pulcherrimum hoc phoenomen lapideum non minus naturae ipsi ob maculas naturales , & providentiæ cuidam divinæ ob adeo mirabilem earum dispositionem , quam etiam artificio , & industriae humanæ , quam in tales figurae elaboratae sunt , rationabiliter imputandum esse judicem.

Nec minus prudenter conjecturandum videtur , praecipuam ansam artifici ad tam nobile opus aggrediendum , & summam solertia perficiendum suppeditasse , non solummodo obscura quedam lineamenta Salvatoris è cruce penduli , sancti Joannis Evangelistæ , & beatissimæ Virginis juxta crucem stantium , quæ à determinata quadam licet tantum casuali dispositione punctulorum subfuscorum exsurgebant , sed insuper etiam solem obscuratum , & lunam sanguineam ex utroque latere crucis apparentes , nec non ipsas descriptas nubes , quæ rudi quodammodo rupes fractas praeferebant , ita ut statim in primo intuitu obscurè cognoscere licuerit , in tam parvulo lapillo omnes fermè circumstantias , quæ Christum in cruce morientem olim concomitantur , & prout à quatuor Evangelistis referuntur , adamussim exhibitas esse , adhibitaque majori industria ad luculentiorum quoque formam , & exhibitionem perducendas fore , quod etiam artifex eximiè præstabilit , & sibi tam mirum , ac rarum opus comparavit , cui simile hucusque à nemine in ullo alio corpore naturali à munificâ rerum Parente producendum observatum fuit.

Quod autem colores seu maculae tam superficiales , seu è punctulis substantiam lapidis leviter tantum penetrantibus conflatae , nobiliorésque figurae repræsentantes , quam illæ , quæ integrum lapidem pervadunt , naturales existant , ex eo potissimum elucescit , cum difficulter assignandus sit modus , quo artificialiter hujusmodi colores , seu maculae tali gemmæ imprimi potuissent , ita , ut gemma non magnâ ex parte , & quidem insigniter laederetur , colorésque impressi iterum , vel faciliter exciderent , vel prorsus artererentur , praesertim in ipsa laevigatione , seu politurâ ; deinde quod punctula ipsa nobiliores Achatis figuræ referentia omnino naturalia sint , evincere quoque videtur macula quædam nigra in sinistro lapidis latere nubium basin constituens , integrâque lapidis substantiam penetrans , quæ solummodo ex eorum copiosiore conjunctione , & unione efformatur.

Lapis deinceps ad majorem hujus admodum rationabilis conjecturæ securitatem aquæ forti fuit immisus , & in ea per duo Pater , & Ave permanxit sine minimo genitrix , seu contentarum ejus macularum detimento , quod , si colores lapidi tantum artificialiter essent commissi , vix fieri potuisset . Hoc experimentum fuit institutum coram illustrissimo Domino Equite Jodoco Joseph Mohr intimi ordinis senatorij , & alijs non minus fide dignis , quam scientia conspicuis viris ipsis Calendis Junii Anno . M . D . CC . XIV .

Modus verò superius descriptus , quo Cardanus loco citato , & etiam à Kirchero Mundi subterranei Tom . 2 . lib . 12 . cap . 4 . propos . 11 . adducto Achates imitari inititur , à me admodum suspectus , ne dicam impossibilis videtur : etenim I . Quomodo statim subterrâ inveniendus ille locus , seu matrix , in qua post plures annos Achates generabitur , ut in illa prætentus lapis marinoreus validis metallicis coloribus desideratas figuræ referentibus pictus reponi queat ? Et II . Posito , quod inveniendus esset talis locus , seu matrix , quo modo hujus modi lapis pictus debet , & tali modo matrici applicandus esset , ut contentæ figuræ secundum omnia sualineamenta Achati generando distinctæ communica-

*Figurae  
autem il-  
lius ab  
artificio-  
sâ politu-  
râ magna  
ex parte  
dependet.*

*Ansa da-  
ta artifi-  
ci , ut tam  
nobile o-  
pus effor-  
maret.*

*Artificiū  
admodū  
difficile ,  
quo tales  
maculae  
Achati  
communi-  
cari pos-  
sent.*

*Experi-  
mentum  
quasi cō-  
vincens  
Lapidem  
naturale  
esse.*

*Refellitur  
modus A-  
chates  
imitandi  
à Carda-  
no addu-  
ctus.  
imo .  
2do .*

## APPENDIX AD HISTORIAM

3to.

4to

rentur? III. Etiam si tale pictum marmor in debitâ matrice, & secundum requisitum situm sub terrâ collocaretur, nonne sumnum esset periculum, & quasi moraliter certum non solum talem requisitum lapidis situm per moram sub terrâ plurium annorum multas ob causas facillimè posse, imò debere immutari? sed insuper etiam colores ipsos à vaporibus, aut aquis subterraneis abitergi, & deleri, vel ab ipsâ terrâ in cumbente prorsus obrui, ita, ut imposterum nullo modo amplius accrescenti Achatem communicari possent? quòd autem per plures expectandum sit, donec contingat circumcirca sub terra sepultum pictum lapidem Achatem perspicuum, & aqueum gigui fatetur ipse Cardanus. IV. Denique, si colores subiecto marmori tam tenaciter adhærerent, ut dicto modo per plures annos terræ commissi, à præfatis causis non abitergerentur, vel destruerentur, tunc multò minus circumcirca accrescenti Achatem illicè communicare possent, nisi velis admittere, quòd unà cum coloribus pictum marinor etiam Achatem includeretur, quod cùm à substantiâ Achatis, ejusque coloribus naturalibus valde diversum sit, non solum ab his faciliter distingueretur, sed insuper ipsum Achatem tanquam inclusa materia heterogenea potius inquinarent, & consequenter citius viliorem, quam preciosiorem redderet.

*Quibus omnibus imitatio Achatū Cardani non solum suspecta, sed quasi impossibilis videatur.*

*Et è contravalde rationabile est, è singulari Dei providentiâ à Natura productū fuisse.*

Ex his adductis rationibus luculenter innotescit, imitationem Achatum eo modo, quo illam Cardanus docet, valde esse suspectam, imo quasi impossibilem videri: artificialem verè insertionem externorum rariorum colorum in eorum substantiam suminoperè fieri arduam non minus ob insignem lapidis duritiem, & inde difficilem ejus tractationem, quam ipsorum colorum minus firmam adhærentiam, ob quam nec sculpturam, nec exquisitam lævigationem sustinerent, adeoque admodum esse rationabile, quòd admirabilis noster Achates à Deo summo nostro Creatore singulariter fuerit intentatus, ejusque instigante divinâ providentiâ à Naturâ productus, ut mediante illo sacratissimum Salvationis opus ubique majore cum emphasi promulgetur, & nos infinitæ hujus bonitatis, misericordiæ, & amoris ferio admoneamur.

Non solum rationabilis conjectura de naturali admirandi nostri Achatis productione è difficiili, & quasi impossibili Achatum imitatione evincitur, sed insuper comprobatur per quam plurimos alias lapides nec ipso Achatem excepto, qui sæpius jam sanctissima hæc mysteria, aliisque figuræ naturales illi artificio minimè cedentes sine ullo externo adminiculo exhibito præsetulerunt, non abs re erit hîc unum aut alterum exemplum inferere, ut præsens nostra opinio magis dilucidetur, & materia de Achatem magis grata, & completa evadat, in quem finem sit

## CAPUT TERTIUM.

## De alijs Achatum specibus, quæ quidquam de Passione Domini naturaliter repræsentant.

*Patera magna cæsarea achatina.*

**P**ost admirandum nostrum Achatem meritò primum locum sibi vendicat Patera magna cæsarea achatina nomen Christi inscriptum naturaliter representans, quæ sanctissimum Redemptionis nostræ mysterium luculenter quoque propalat, & simul manifestè inculcat, Naturam à Deo etiam in lapidibus (nec vulgaribus exceptis) sæpius ita exaltari posse, ut stupenda, & antehac nunquam auditâ in ijs producat miracula ad benedicendum nimirum æterno ipsius, & sacratissimo Nomini.

Hujus Pateræ magnæ cæsareæ achatinæ descriptionem hic annexam, prout per clarissimum D. Georgium Sebastianum Jung ad illustrissimam nostram Academiam cæsaream Leopoldino-Carolinam fuit transmissa, & legi poterit in ejusdem

# LAPIDUM FIGURATORUM &c.

7

dem Ephemeridibus Anno 1. Obs 112. ubi simul icon inscriptionis ipsius, quam Imagini admirandi nostri Achatis quoque sub junxi, & n. jmo notavi, offendetur.

Patera magna cæsarea achatina nomen Christi naturaliter inscriptum repræsentans. Ein grosse keiserliche agatine Trink-Schalen / in welcher natürlicher weiß der namen Christi geschrieben zu lesen ist.

Præ coeteris magnificis, ac splendidissimis Augustissimi Gazophylacij cœsarei rarioribus ( sunt verba nobilissimi prædicti Authoris ) facile sibi palmam vendicat Gemma hæc solo Cæsare digna , nec non ab ipsa Sacra Cæsarea Majestate instar Thesauri maximi æstimata. Hujus artificialis figura pateram ex unico rarissimæ , & nunquam antehac spectatæ magnitudinis orientali Achate artificiosissimè fabricatam exhibet, cujus enim circumferentia duas ulnas Viennenses cum tertiatâ ejusdem parte , diameter verò inter duarum ansarum extremitates unam integrâ ulnam minus duobus digitis adæquat. In cavitate verò politissimæ hujus Pateræ non minus adorandum, quām admirandū Christi Redemptoris Nomen naturæ penicillo ex nativo nigricantiū macularū concursu ad vivum hunc in modū

BXRISTOR f XCXX.

delineatū spectatur, adeò, ut ipsa natura hanc stupendæ magnitudinis gemmam Authori suo Christo Regi imprimis lapidis hujus incunabilis consecrassive videatur:

Arcanum Naturæ sensum stupendis hisce characteribus expressum clarissimus , consultissimus , raræque eruditionis vir D. Petrus Lambecius Sacr. Cæs. Majest. Consiliarius, Historiographus, & Bibliothecarius &c. in Commentario suo de Bibliotheca cæsarea Lib. I mo fol. 25. parag. 27 doctissimè interpretatur hoc modo:

Beatori orbis , vel Beatori generis humani , Christo Regi Seimpiterno. Triuno , Crucifixo.

Ubi quoque naturalis Pateræ hujus alioquin vix credibilis magnitudo in plenâ formâ S. C. M. jussu æri incisa , Spectatoribus curiosis exhibetur.

Kircherus Art. magn. de luce lib. I mo mag. part. 2da fol. 806. quoque testatur , se in Achate perfectum Crucifixum vidisse. Celeberrimo Michaeli Bernardo Valentino in Mus. Museorum part. 2da cap. 8. pag. 51. etiam niger Achates ex Hassia inferiore fuit donatus, cuius venæ albæ per ejus substantiam excurrentes in utraque parte pulcherrimam crucein efformabant. Sibaldus in Prodromo Hist. naturalis Scotia part. 2da lib. 4to. pag. 50. Achatem cruce signatum commemorat, quem lapidem cruciferum Aldrovandi esse Valentinus loco citato contendit, & nos infra prolixius describemus.

## CAPUT QUARTUM.

### Recensentur quidam Lapidès vulgatiores quidquam de Passione Domini naturaliter repræsentantes.

**N**ec solummodo nobiliores Gemmæ , & diversæ Achatum species à providentiâ divinâ ad profundissimum , & sanctissimum Salvationis nostræ mysterium ubique serio inculcandum eliguntur , sed insuper etiam ipsi Lapidès viliores , & magis frequentes divinâ hac condecorantur vocatione , & ad cœlestè hoc determinantur munus , ut nimirum quoque infima populi multitudo , & ipsa plebs , ad quam lapides preciosiores non tam faciliter pertingere solent, oblati mirabilissimo tali portento ad cognitionem , & amorem optimi sui Salvatoris, ac Redemptoris excitentur , & commoveantur.

Ad luculentius adhuc illustrandam sacram hanc veritatem non nulla hujus rei stupenda adducam exempla , quæ animum verè philosophicum , & nullatenus præoccupatum haud difficulter in ejus assensum trahent , nec non in illa firmiter confirmabunt.

Primum est Lapis Tyburtino in agro repertus, qui à singulari Naturæ Scrutatore P. Athanasio Kirchero Mundi subi Lib. 8. Sect. 1. cap. 9 fol. 45. ita describitur: quin & addidit fossarum Praefectus , inventas fuisse inter alia in quodam

Eius Descriptio.

Chara-  
cterum in  
ea expres-  
sorum in-  
terpreta-  
tio.

Alius A-  
chates  
Christum  
Crucifi-  
xū repra-  
sentans.  
Achates  
niger cru-  
cem albæ  
continens.

Lapides  
vulgares  
quoque  
hoc S. my-  
steriū pre-  
dunt.

Et cur?

I mo Lapis  
Tyburti-  
nus.

## APPENDIX AD HISTORIAM

faxo hasce quatuor litteras J. N. R. J. quæ Christi Crucifixi titulum referunt à Naturâ ibidem depictum , & extero cuidam magnâ poecuniæ summâ venditum fuisse , non parùm miratus sum prodigiosam litterarum delineationem.

Secundum exemplum ab eodem diligentissimo Authore adducitur in loco citato fol. 33. est Ambrosino teste curioso harum rerum exploratore Ticini , vulgo Paviæ in Cœnobio Chartusianorum ad quintum lapidem extra civitatem sito , in quo quodam in marmore natura Christi Servatoris nostri in cruce pendentis, nec non spineâ coronâ redimiti imaginem eleganter depinxit.

Tertium exemplum Venetijs habetur eodem Ambrosino teste, ubi figura Christi Crucifixi apparet in marmore in templo S. Georgij majoris , cuius imago potest videri in eodem Kirchero : hoc etiam confirmat Jacobus Gaffarellus in Provincia Theologiæ , & Juris canonici Doctor, in curiositatibus in auditis , qui liber Anno 1630. Parisijs editus intra sex menses ter raro exemplo recusus fuit , cap. sto. pag. 72. Dominus de Brevè non solum in marmore vidisse istam Crucifixi effigiem , sed etiam tam rarum esse artificium, ut vulnera, & guttae sanguinis potuerint exactè discerni , & in ejusdem templi Altari Caput mortis esse perfectissimè à naturâ elaboratum.

Quartum de Lapide notabili, & nostræ observationi analogo narrat excell. D. Joannes Jonstonus Medicus , & Polyhist. incomparabilis in Thaumatograph. nat. Sect. 4. cap. 17. quod tempore Joannis Friderici Electoris Saxonie lapides inventi fuerint , qui Christum Crucifixum, Mariam , & Joannem repræsentarint lineamentis. Hujus Lapidis etiam mentionem facit Mylius memorabil. Saxonie subterr. part. Ima pag. 8. ex Matthia Colero. lib. de Piscibus cap. 8.

Quintum : Non aliter ac ex puro, puto , argento à naturâ in visceribus Terræ forinatum repertum fuisse Christum Crucifixum cum Virgine Maria testatur Oßwaldus in arbor. homin. lib. 1mo cap. 7. f. 5. parag. 18.

Sextum exemplum antecedenti simile est , quod D. de Monconys Tom. 2do Itin. german. pag. 247. se vidisse, ait, Dresdæ inter S. Electoris Saxonie Thesauros crucem pedis altitudine à naturâ optimè elaboratam ex argento , & in minera inventam.

Septimum asservatur in Museo regio Danico Haffniæ tabula marmorea , inquâ à Naturâ pulchris coloribus Christus è cruce pendens, prout variæ figuræ in marmore florentino repræsentari solent, depictus cernitur, cuius Imago è Jacobæi Museo regio extracta habetur in Museo Museorum Valentini Tab. 9. n. 3. Huic similis tabula marmorea Christum cruci affixum exhibens ostenditur in Bibliotheca Universitatis Lipsiensis, prout refert Mylius memorab. Saxon. subterr. pag. 80.

Pro octavo exemplo ad hucusque adductos lapides quidquam de Passione Domini repræsentantes pertinet quoque jure merito Lapis Christum Dominum calicem manu sinistrâ tenentem exhibens, & à Mylio memorab. Saxon. subterr. part. Ima pag. 47. descriptus. In eodem libro pag. 50. adducitur aliis lapis cum imagine crucis, è quâ humanum corpus dependet sine dubio Christum Crucifixum denotante , qui excell. D. Archiatro Neuenhanio fuit donatus.

Nono, & ultimò ad Lrides sanctissimum Salvationis mysterium præferentes hic adduci debet Lapis Crucifer Boetij, de quo fit-

### CAPUT QUINTUM.

#### Describitur Lapis Crucifer, seu Cruciatus.

**L**apidis Cruciferi , seu Cruciati plures vidi species, quas statim in principio hujus capituli recensebo , & sunt sequentes:

Lapis crucifer cinereus quadratus ab uno angulo ad alium cruce nigrâ donatus major. Ein grôsserer aschenfarber vierecketer Kreuz Stein.

Lapis crucifer marmoreus subfuscus quadratus cruce nigrâ donatus major.

Ein grôsserer dunkler marmelsteinener vierecketer Kreuz Stein.

Lapis crucifer cinereus quadratus ab uno angulo ad alium cruce nigrâ donatus minor. Ein kleiner aschenfarber vierecketer Kreuz Stein.

2do Lapis  
Ticinen-  
sis.

3to Mar-  
mor Vene-  
tum.  
Aliud  
quoque  
Marmor  
artificio-  
fissimū in  
Gallia.  
Crucifixū  
repræsen-  
tans.

Et Caput  
Mortis.

4to Nec  
non in Sa-  
xonia.

5to Alius  
Christus  
ex pura  
minera  
argenti.

6to Cujus  
etia facit  
mentionē

Monco-  
nys,  
7mo Simi-  
le Mar-  
mor etiā  
videtur  
Haffnia.

8vo Duo  
aliij Lapi-  
des ejusdē  
Natura  
adducun-  
tur.

Species.  
Lapidis  
Cruciferi

# LAPIDUM FIGURATORUM. &c.

9

Lapis crucifer marmoreus subfuscus, & subrotundus cruce nigrâ donatus minor. Ein kleiner dunkler marmelsteinener runderchter Kreuz-Stein.

Istos Lapides, seu potius Lapiros describit clarissimus Boetius lib. 2do de gemmis, & lapidibus cap. 245. sequenti modo: Ad Cornuum fossilium genera non inepte referri potest Lapis crucifer Bubuli cornu magnitudine, & facie, qui dum transversim scinditur in planos orbiculos crucem nigro colore referti; reliqua superficie pars cineritum habet colorem, cui interdum ruber intermixtus videtur. Extrinsecus ex cinereo nigrescit, maculisque interdum nigris distinguitur, ac tactu inæqualibus; tam mollis est, ut cultro facile ab eo pulvis albus abradi possit. Invenitur viginti milliaribus à Fano divi Jacobi in Compostellâ Hispaniæ; fertur, gestatus ut carnem tangat sistere sanguinem undecunque fluentein, prætereà Lactis ubertatem efficere, ac Dæmonia arcere, febres etiam omnes curare collo appensus dicitur.

Ludovicus Moscardi Academicus Philamonicus Veronensis in *Museo suo Patavij 1656. edito lib. 2do cap. 14. fol. 134.* mentionem facit lapidis in suo Museo asservati, qui la Pietra della Croce dicitur, & invenitur in Monte S. Petri di Rubia, in Galliciâ, & Asturiâ Hispaniæ Provinciâ coloris cinerei, in cuius medio crux nigra signata, cuius usus medicus quidem nondum sit cognitus, non contemnendus tamen ob mirandam crucis signaturam; qui lapis Musei Moscardini idem est cum lapide crucifero Boetij, cuius brevem quidem, sed clariorem descriptionem addam, prout mihi illum observare contigit.

Lapillum hunc integrum, prout nimirum cornu bubulum refert nunquam vidi, sed tantum in frustula quedam ad quadratum irregulare figurâ suâ accendentia magnitudine suâ sèpiùs crucigerum, haud multum, quandóque verò medium thalerum superantia concísum: Substantia ejus est coloris cinerei, per cuius medium crux nigra transversim, & obliquè in angulos definens extenditur; in pluribus lapillis linea nigra crucemque efformantes tenues, & æquales sunt, atque in centro lapidis sese intersecant; in nonnullis verò ubi ad angulos pertingunt, nunc magis, nunc minus dilatantur; in non paucis deniq; in ipso intersectionis puncto, seu centro lapidis maculam quandam nigram constituunt, quæ quandoque majorem internam lapidis, crucisque partem adimpleret; in aliquibus tandem non nunquam color niger integrum spatium, seu intervallum inter duas crucis lineas contentum, quartamque lapidis partem constituens à centro ad peripheriam usque occupat, & replet.

Substantia lapidis interna fluchi cuidam simillima est, tantisper transparens, & ad substantiam Stalactitarum proximè accedit, ita ut quoad structuram cum ijs omnimodè conveniat. Materia autem nigricans, & crucem constituens minus splendet, & magis quam cinerea opaca est, manifestum signum, quod non tanta copia salis abundet, minùsque fixa, ac impura existat, unde nullum erit dubium, quod hæc informatione lapidis tanquam ad petrificationem minus apta diutiùs fluida permanferit, & à reliqua materiâ jamjam à spiritu lapidifico condensata à centro ad peripheriam expressa, ac propulsa fuerit, donec sulphure illius majori ex parte evaporato, & protruso simul in substantiam lapideam fixa fuerit.

Quod autem materia magis sulphurea, & nigricans per lapidem expansa plerumque crucem efformet, hoc potissimum adscribendum videtur, quod in formando lapide vis lapidifica à quolibet latere materiæ petrificandæ æqualiter incipiat, & æqualiter quoque versus centrum urgeat, sicque substantia magis sulphurea, & ideo ad petrificandū minus apta inter interstitia laterum minorem resistentiā inveniat, & consequenter per ea, & in ea facilius propellatur, donec quoq; prædicto modo in lapidem, sed minus durum, & magis coloratum convertatur.

Lapilli isti quandoque in formam orbicularem poliri solent, ubi geminis inferioris notæ quoad pulchritudinem suam, & venustatem minime cedunt, non politi verò non adeò pulchri, sed potius asperi, inæquales, & ingrati apparent.

Clarissimus Mercatus in Metallotheca sua armario 9no cap. 11mo pag. 238. quo-

Eiusdem  
descriptio  
à Boetio.

A Mos-  
cardo.

Ab Au-  
thore.

Eius Sub-  
stantia  
interna ad  
florem  
quendam,  
seu Stala-  
ctitem  
accedit.

Quomodo  
in eo crux  
efforme-  
tur.

Gemarii  
instar  
quandoq;  
poliuntur

Et à Con-  
chigeris  
ad nos  
transpor-  
tantur.

**TABULA GENERICA LAPIDUM FIGURATORUM**  
que istorum lapillorum cruciferorum, seu cruciatorum mentionem facit, & eorum tam politorum, quām non politorū pulcherrimas icones addit.

Lapides cruciferi ad nos apportantur ab ijs conchigeris, qui ad Fanum divi Jacobi in Compostella Hispaniæ peregrinantur, & illos precio haud magno vendunt.

Reliqui Lapides figurati picti, iinaginiæ B. Virginis, Sanctorum, Sanctarūmque &c. repræsentantes in mea Lapidicinâ sacrâ suo tempore, & datâ occasione describentur. Cujus ideam hīc addo.

**TABULA GENERICA  
LAPIDUM FIGURATORUM  
Imaginiæ sacras repræsentantium  
Vel Picturâ, vel Figurâ.**

I.	De Passione Domini	Christum cruci affixum. Figuras ipsius Salvatoris. Cruces solas. Characteres sacros. Instrumenta ad Passionem pertinentia.
II.	De Beatissimâ Virgine	Imaginiæ integras.      Istantes      cum S. Infante. Semiformes.      vel      sedentes      sine S. Infante.
III.	De Sanctis, & Sanctabus. Eorūmque partibus.	Integras. Semiformes.  Christianæ. Homines eorūmque partes. Vestitus. Alia ornamenta. Summi Pontifices. Rabbini. Vestitus. Alia ornamenta. Deos, seu Idola, eorūmq; partes. Idolea. Idololatras. Vestitus. Alia ornamenta.
IV.	Ad Sacra pertinentes	Judaica. Ethnica.

Hic benè notandum est, quòd ad majorem Tractatūs perfectionem in quacunque propositâ specie à lapidibus exhibitâ, simul etiam addendæ sint reliquæ species easdem imagines repræsentantes, quæ hucusque in duobus reliquis Rerum naturalium regnis, nempe in animali, & vegetabili naturaliter exhibitæ observatae sunt, quarum non parvus deprehenditur numerus, & quæ ad exornandum, ac perficiendum hoc opusculum summoperè conducent, præsertim cùm quælibet hæ species in proprio suo articulo compræhensæ statim suo debito paragrapho subjungentur. In fine Tractatūs demum addetur caput singulare, in quo multiplex, & diversa origo hujusmodi lapidum figuratorum imagines sacras naturaliter repræsentantium, sicuti etiam reliquarum specierum è regno animali, & vegetabili de sumptarum succinto quidem, sed tamen diligenti modo pertractabitur.




Achates Imaginem CHRISTI  
in cruce morientis repräsentans

Solche wunderbarliche Gestalt  
hat die Natur in ein Agat Gemalt









July 10<sup>th</sup>, 1881.

C. A. K. & Co.

ab

ab

